



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Custodia pudicitiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

jam capti. Plato (uti Augustinus Cælius refert lib. 59.) Europam filiam, animam, Dei sponsam interpretatur. Nam sicut regia illa virgo, etsi patriam humentibus oculis respectaret, tamen à tauro, cui nimium blandita fuerat, à patria abducebatur: eodem profus modo anima, æterni regis filia, maximo salutis periculo per medios hujus vitæ vortices, per procellosum hoc mare, ab indomito tauro, à fuomet corpore in vitiorum præcipitia abripitur; & licet illa cœlum, suam patriam, licet Deum Conditorem ac parentem suum sæpius respiciat, tamen à furente hac bestia longè à patre abducitur. Sed sibi culpam illa imputet, cur fictæ illius mansuetudini fidem habuit. Sic agit corpus, ubi suis nequitijis vires acquirit: sic abducit miseram animam, sic ingemiscentem abripit per voluptatum fluctus in lachrimabile exitium. P. Hierem. Drexelius in Trismeg. lib. 3. c. 3. §. 2.

III. (c) Hinc etiam instruitur puellarum castitas, ut cautissimam sui curam habeat, nec blanditijs juvenum, & insidiosa familiaritate capi se sinat. Monet S. Hieron. in Epistola ad Nepotian. Cave omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, antè de vita. Crebra munuscula & sudariola, & fasciolas & vestes ori applicitas: & oblatos ac degustatos cibos sanctus amor non habet. Formulas ibidem amatorias, ac molles compellationes, ut suspectæ familiaritatis indicia, etiam in litteris, execratur. Mel meum, lumen meum, meum desiderium: omnes delicias & lepores, & risu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comædijs erubescimus, in sæculi hominibus detestamur. Hæc vir ille sanctissimus; quid dicturus fuisset de lascivis atrectationibus, basiationibus, amplexationibus, saltationibus &c. quibus incauta castitas deluditur & deperitur. Præsenti se periculo exposuit Europa. Primò, quòd sola sine comite, regis filia, in publicum prodierit: deinde, quòd extra mœnia egressa, obambulavit prata. Tertio, quòd non attenderit, sub insuetis tauri blanditijs insidias latere. Quarto, quòd bestię dolosè submittentis se, tergum infederit. Quid hæc significant aliud, quàm venalem ei pudicitiam puellæ, quæ domesticos pertæsa lares, vagatur ibi, ubi non mortui, quod Plautus ait, sed vivi boves incurfant homines.

In hunc locum congruit, quod Spondanus narrat in Annalibus. Apud Carolum Ducem Calabriae justitiæ tenacissimum, puella juvenem nobilem accusavit virginitatis sibi per vim ereptæ. Vocatur nobilis, negat quidquam per vim actum; jubet nihilominus Carolus puellæ centum

aureos

(c) Custodia pudicitia.

aureos dotis nomine numerari. Abit illa; insequitur jussu Ducis abeuntem juvenis, simulat ei se pecuniam erepturum. Illa sollicitior de nummis, quàm de pudicitia reluctando fortiter, eripit se manibus, redit queribunda ad Carolum. Dux feminae petulantiam increpans, si tantum, inquit, studij in pudore, quàm in pecunia conservanda possidisses, illum nequaquam amissurus fuisses. Hoc ipsum fuerat Europæ occinendum, quæ apud Horatium lib. 3. Od. 27. amisso pudore frustra queritur:

----- Pater ô relictum

Filia nomen, pietasque! dixit

Vieta furore.

Unde? quò veni? levis una mors est
Virginum culpæ.

Si quis infamem mihi nunc juvenem

Dedat irata, lacerare ferro, &

Frangere enitar modò multum amati

Cornua tauri.

Impudens liqui patrios penates,

Impudens Orcum moror. ô Deorum

Si quis hæc audis, utinam inter errem

Nuda leones.

Quid mori cessas? potes ab hac orno

Pendula Zonâ bene te secuta

Ladere collum.

Sive te rupes, & acuta letho

Saxa delectant: age, te procellæ

Crede veloci &c.

Sed nimirum feri sunt post facinus genitus, feri dolores, semel elapsum non reducturi pudorem. Gravius S. Cyprianus: Dum ornari cultius, dum liberius vagari virgines volunt, virgines esse desinunt, viduæ antè, quàm nuptæ.



SYM-